

po deberi, ut nulla in contrarium consuetudine præscribi possit. Concilium Romanum anni 1725. Tit. 8. cap. 4.  
 „ Census Cathedrali Ecclesiæ solvendus in signum honoris  
 „ & subjectionis Cathedræ Pontificali. Jus sane inter cæ-  
 „ tera Episcopalia ita privilegiatum, ut neque ab Episcopi-  
 „ pis in totum remitti, nec a quoquam valeat quocum-  
 „ que titulo, vel immemorabili consuetudine præscribi.

Sed hæc, quæ de Cathedralico dicta sunt, ad *In-  
 thronisticum* quidem, de quo loquuti sumus, non spectant:  
 faciunt tamen ad *Canonicum*, de quo mox sermo erit.

*Canonicum* (inquit Lupus in not. ad Canones Ephesi-  
 nos Tom. 1. pag. 471.) est *ordinarium tributum, verum-  
 que Cathedralicum, Episcopo a singulis oppidis & vicis  
 pendendi consuetum.* κανονικόν Græcis dicitur, annua scilicet  
 pensitatio, quæ a laicis præstabatur Sacerdotibus.  
 Neque enim alia est hujus vocis usurpatio in Basilicis  
 lib. v. tit. 1. cap. 5. ubi κανονικὸν ζήτησις ad Archiepiscopum  
 referri præcipitur, his verbis. δὴ τὸς ἐν τῷ ἰλλυρι-  
 κῷ περὶ κανονικὸν τιμὸς ζήτησις ποιούμενος ἀναφῆραν πάντα ἐπὶ  
 τῶν Ἀρχιεπισκοπῶν &c. Si de quo *Canonico dubitatio in  
 Illyrico emerferit, ad Archiepiscopum referri debet, &  
 ab ipso unacum conventu Sacerdotali, sanctoque judicio,  
 & ex Lege divina dirimi.* Et in decreto Germani Pa-  
 triarchæ de Stauropegii apud Freherum lib. 3. Juris Graeco-  
 Romani p. 236. ἡ τῶν κανονικῶν εισφορῶν ἀπαίτησις, *Ca-  
 nonicorum proventuum exactio, quæ debetur Patriarchæ,  
 ubi adsit ejus Stauropegium, vel Metropolitano aut Epi-  
 scopo, ubi illud abfuerit.* „ Ut [inquit] Patriarchalis  
 „ nominis relatio in illis solis obtineat, in quibus ex-  
 „ structio per Patriarchalia σταυροπέγνια *Stauropegia*, fa-  
 „ cta fuerat, sive Monasteria sint, sive Ecclesiæ Catho-  
 „ licæ, sive Oratoria. Et in hujusmodi nihil sit com-  
 „ mune regionis Antistiti, sive ad sacrorum (1) conse-  
 „ crationem, sive ad Præfecti [Abbat] designationem,  
 „ sive ad animæ (2) delictorum examen; neque aliud,  
 „ quidquam, μέχρι τῆς τῶν κανονικῶν εισφορῶν ἀπαίτησεως,  
 M m m m „ usque

(1) hoc est sacram Ordinationem.

(2) Nempe, Sacramentalem Confessionem.